



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Jure Rerum Ecclesiasticarum Ad Germaniae Catholicae  
Principia Et Usum Pars ...**

Complectens Sectionem I. & II.

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii, 1758**

Titulus XVI. De Secundis Nuptiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68048)

ro antiquis Germaniæ legibus introducta fuit communio bonorum inter conjuges, postea multis in locis abrogata ex principiis Juris Romani: ubi autem per Leges statutarias hæc communio retinetur, una etiam per adulterium amittit partem ex bonis his communibus sibi competentem 14. ): consequenter etiam amittit paraphernalia, cum sint communia marito. Extra has Provincias uxor adultera non amittit paraphernalia, multo minus bona receptitia, quia leges pœnales potius restringendæ, quam ampliandæ sunt. Quæ autem dicta sunt de Dote respectu uxoris, idem tenendum de Donatione propter nuptias respectu mariti.

TITULUS XVI.  
DE SECUNDIS NUPTIIS.  
*Conf. Decretal. lib. 4. tit. 21.*

S. 378.

*Secundas  
Nuptias*

**V**ARIÆ gentes averfabantur secundas Nuptias ex politicis rationibus,

14. ) C. 10. de Consuetud.

De secundis Nuptiis. 509

nibus, tum quod multa parerent in-olim aver-  
commoda, tum etiam quod liberis *sabantur*  
prioris Matrimonii ut plurimum es-  
sent infestæ, mutarentque adeo af-  
fectum erga illos, ut sæpe ex priori  
Matrimonio natis periculum vitæ &  
bonorum immineret. Christiani au-  
tem primorum sæculorum ex aliis  
longe principiis, scilicet ex conti-  
nentiæ studio secundas Nuptias aver-  
sabantur, & in iis speciem quandam  
adulterii, ob affectum maritalem in  
alteram conjugem versum, deprehen-  
dere sibi videbantur (5.): qua in re  
nimium excedebant Montanistæ,  
quibus TERTULLIANUS favebat;  
&

5.) ATHENAGORAS in Legat. pro Christian.  
*Vel ut natus est unusquisque nostrum, ma-  
net, vel nuptiis copulatur unicis: secunda  
enim, decorum quoddam adulterium sunt.*  
CLEMENS Alexandr. Lib. 3. Strom. c. 8.  
*Quemadmodum avaritia & plura habendi  
cupiditas dicitur fornicatio, ut que adver-  
setur sufficientiæ: & ut idololatria est ex  
uno in multos Dei attributio: ita fornica-  
tio est ab uno Matrimonio ad plura pro-  
lapso. Autor operis imperf. quem sub  
nomine Chrysoptomi allegat GRATIA-  
NUS C. 9. XXXI. q. 1. de secundo Matri-  
monio dicit: Dum permittente Deo pu-  
blice & licenter committitur, fit honesta  
fornicatio.*

& Novatiani, qui illas profus dabant, nec communicare cum huiusmodi nubis volebant, damnati propter hoc a Concilio NICÆNO 16.).

Patres,

§. 379. Quamvis autem nec dixerim, nec absolute Ecclesia damnaverit unquam secundas Nuptias, aliqui tamen Patres, & Synodi particulares, considerata intemperantia & incontinentia, qua iterari contumacia præsumebant, adeo severe prohibebant & inculcabant consilium (S. PAULI 17.), ut binubis publica penitentia, & consequenter temporaria quædam separatio a communione fidelium fuerit imposita, prohibiti quoque Presbyteri interesse convivio secularium nuptiarum, ne videantur eodem ipso facto approbare 18.).

Imperatores,

§. 380. Hunc Patrum rigorem imitari præmarunt quidam Imperatores Græci.

16.) Canon. 8. BEVEREGIUS ad hunc locum nonem suspicatur, Novatianos non esse, imo neque ipsum Novatum hanc doctrinam tenuisse.

17.) I. Corinth. VII. 8. dico autem viduis & viduis: bonum est illis, si sic maneat, sicut & ego.

18.) Synod. NEOCÆSAR. Can. 3. quos refert GRATIANUS C. 8. XI. q. 1. LAODICEN. can. 1. S. BASIL. in Epist. ad Amphilocho. can. 4.

*De secundis Nuptiis.* 511

præfertim circa tertia aut quarta Matrimonia. LEO Imperator 19.) statuit, ut qui ad tertium Matrimonium pervenerint, pœna, quam in ipsos sacer Canon (Neo-Cæsareensis) promulgavit, obnoxii sint. Ipse tamen LEO post tres uxores absque liberis defunctas, quartum Matrimonium iniit, a NICOLAIO Patriarcha propter hanc causam a communione Ecclesiæ segregatus: LEO autem vicissim NICOLAUM a Patriarchatu expulit: unde multa dissidia inter Episcopos, tandem composita sub CONSTANTINO Porphyrogenneta, edito Tomo Unionis 20.) ubi statuitur, si quis

19.) Const. 90.

20.) Tota formula hujus unionis initæ anno Mundi 6428. indict. 8. id est anno æræ Christ. 920. cum prævia narratione de quarto Matrimonio Leonis, habetur Jur. Græco-Rom. Tom. I. lib. 2. Præcipua capita referuntur a BALSAMONE ad cit. Can. 4. S. Basilii, & a BARONIO Annal. Eccles. ad annum Christi 901. item inter Constit. Imperatorias Corpori Juris Civilis plerumque adjectas. De epocha græca a mundo condito, quæ æram Christianam præcedit annis 5508. agit Leo allatius Dissert. de Domin. & hebdomad. græcorum in fin.

quis ad quartum conjugium veni-  
voluerit, cum esse omni Ecclesia  
ca congregatione privatum: sub ve-  
riis dein limitationibus permittuntur  
tertiæ Nuptiæ.

*ob præsum-  
ptam in-  
continen-  
tiam,*

§. 381. Nihil aliud primorum  
culorum Patribus in secundis aut  
tiis Nuptiis displicere poterat, quam  
præsumpta incontinentia. Cum  
tem sæpe necessitas, aut saltem  
causa ad secundas impellat Nuptias  
nec ulla ratio afferri possit, cur  
cundæ potius, quam primæ Nuptiæ  
sint noxiæ; hinc etiam Ecclesia Græ-  
ca rigorem hunc moderata est 21.)  
prout fieri præceperat INNOCENTIUS  
IV. Pontifex 22.) : firmior autem  
consensus Ecclesiæ Græcæ & Latinæ  
circa

21.) In Synodo CPolitana sub Patriarcha  
JOANNE BECCO, anno Mundi 6785  
respondet anno Christi 1277. Epistola  
synodalem ad Romanum Pontificem  
fert ODORIC. RAYNALDUS Annal. Eccl.  
ad ann. 1277. HARDUIN. Collect. C  
cil. tom. 7. col. 753. seqq.

22.) In Epistola ad OTTONEM Cardinalem  
Tusculanum art. 20. data anno Pon-  
tificatus undecimo, id est anno 1253.

*De secundis Nuptiis.* 513

circa istum articulum stabilitus fuit in Concilio FLORENTINO 23.)

§. 382. Legum Civilium Constitutiones, quibus hodie utimur, secundis nuptiis favores quosdam denegant, non in odium polygamiae successivae, sed ex politicis rationibus, praesertim contra feminas intra annum luctus nubentes; vel in favorem liberorum primi Matrimonii; vel ad effectus ex natura Matrimonii per se fluentes. Sic naturale est, quod mutato statu viduitatis, uxor jura prioris mariti perdat, & in domum, potestatem, forum & dignitatem secundi mariti transeat 24.) : in hoc autem nulla continetur poena. In favorem liberorum primi thori cautum est I. Ut mater ad secundas nuptias transiens,

K k                      amit-

---

23.) In Decreto pro Jacobinis apud HARDUIN. Collect. Concil. tom. 9. col. 1028. *declaramus non solum secundas, sed tertias & quartas, atque ulteriores Nuptias, si aliquod Canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse &c.*

24.) L. 22. §. 1. ad Municipal. Novell. 22. c. 36.

amittat eorum tutelam 25.). II. U  
 amittat conjux proprietatem lucre  
 rum a priore conjuge ei relictorum,  
 quæ liberis prioris connubii accre  
 scit 26.). III. Non possit superius  
 in alterum conjugem plus conferre,  
 quam uni ex liberis, cui minimum de  
 dit, obvenerit 27.). IV. Amittat  
 usufructum sibi a prædefuncto con  
 juge relictum, qui liberis prioris Ma  
 trimonii obvenerit 28.). V. Mater non  
 possit donata liberis primi Matrimo  
 nii ob ingratitudinem revocare 29.).  
 Cum hæc mere in gratiam liberorum  
 primi Matrimonii constituta sint,  
 hinc deficientibus liberis, hoc ipso  
 cessant etiam isti effectus secunda  
 rum Nuptiarum 30.). Faminas ad  
 im-

25.) L. 2. Auth. Matri & avia. & amb  
 Sacramentum. C. quando mul. tutel. ob  
 fungi possit.

26.) L. 6. §. 1. & 3. L. 8. §. 1. C. de secun  
 d. Nupt. Novell. 98. c. 1.

27.) L. 6. pr. & L. 10. pr. C. eod.

28.) L. un. C. si secundo nupserit &c.

29.) L. 7. C. de revoc. donat. exceptis  
 bus casibus, expressis in auth. quod  
 ter. ibid. ex Novell. 22. c. 35.

30.) Videri merentur plures Dissertationes  
 ARNOLDI RATH de secundis Nuptiis



immaturum festinatumque connubium intra annum luctus properantes, tum ratione honestatis, tum ob perturbationem sanguinis 31. ), Leges averfantur, notantque infamia, & aliis pœnis afficiunt 32. ). Pœna infamiæ nominatim per Jus Canonicum aboletur 33. ). Idem sentendum de reliquis pœnis tali Matrimonio intra annum luctus inito dictatis: ratio enim Juris Canonici ex S. PAULO 34. ) petita, quod scilicet mulier per mortem mariti ab ejus lege sit soluta, liberamque facultatem alteri nubendi habeat, pugnat etiam contra alias pœnas: usus quoque forensis hac in materia inhæret Juri Canonico 35. ).

Kk 2 §. 383.

five de variis Legum provisionibus in favorem liberorum primi Matrimonii adversus binubos parentes.

31. ) Unde hæc leges non extendendæ sunt ad maritum.

32. ) L. I. C. de secund. Nupt.

33. ) C. 4. & 5. eod.

34. ) I. Corinth. VII. 39. *si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat.*

35. ) S. HIERONYMUS Epist. II. ad Ageluchiam de Monogamia, refert exemplum mulieris, quæ tempore Damasi Pontificis  
suc-

etiam ab  
Ecclesia.

§. 383. Ecclesia hodierna, deposito secundarum Nuptiarum odio, retinet tamen aliqua antiquæ disciplina vestigia, quamvis aliarum rationes obtendantur. Nam Bigami sunt Irregulares, nec admittuntur ad Ordines Clericales 36. ): dein non adhibetur solemnis Benedictio (§. 338.) quam conjuges binubi jam in primis Nuptiis acceperunt 37. ). Ratio plerumque datur, quia iterandæ non sunt solennes rerum aut personarum benedictiones, ut sunt Consecratio Ecclesiæ, Altarium, Virginum, & similititer etiam Nuptiarum, ne vilipendantur. Forte tamen hæc denegatio benedictionis occasionem trahit ex antiquis Canonibus, qui Sacerdotes prohibebant interesse secundis conubiis 38. ). Non ubique idem ob-

successive viginti duobus viris, quorum ultimus & ipse viginti uxores sepelegerat nupsit.

36.) Vid. Hierarch. Eccl. §. 23.

37.) C. 1. & 3. de secund. Nupt. Conc. SALMANTIC. anno 1335. can. II. Innoc. CENTIUS IV. in Epist. ad Otton. Car. Tuscul. art. 21.

38.) MENOCHIUS. de Arbitr. Judic. lib. 4. cas. 417. n. 9. putat, Capitulum 1. de se-

servatur ritus: alicubi benedictio  
omittitur, si alteruter sit binubus:  
alibi si Sponsa sit binuba: non-  
nullibi si uterque sit binubus. In  
multis locis benedicuntur omnes  
secundæ Nuptiæ. Cum res ista ad  
disciplinam pertineat, quilibet sequi  
debet Statuta & Ritualia suæ Dic-  
ceseos.

§. 384. Quamvis cessaverit omne  
odium secundarum Nuptiarum, &  
pœnæ abolitæ sint, nihilominus cer-  
tum est, in utroque foro tam Civili,  
quam Canonico, secundas Nuptias  
non æque esse favorabiles, ac primas,  
propter honorem & amorem prioris  
conjugis, & liberorum conservan-  
dum. Unde si hæredi vel Legata-  
rio, qui in Matrimonio nondum  
fuerat, conditio adjicitur, *si non nu-  
pserit*, ea habetur pro non adjecta  
(39.), ita ut hæreditas vel Legatum  
exigi possit, etiamsi nupserit. Ve-

*Saltem se-  
cundæ Nu-  
ptiæ, non  
sunt tam  
favorabi-  
les, ac pri-  
mæ:*

K k 3 rum

cund. Nupt. loqui de Sacerdote, qui be-  
nedixit secundas Nuptias contractas vi-  
vente prima. Quidquid sit de hoc primo  
Capitulo, certe per alios textus apertif-  
sime prohibetur benedictio secundarum  
Nuptiarum post mortem primæ conjugis.  
Vid. GONZAL. Comment. in cit. c. I.  
39.) L. 22. & L. 72. §. 5. ff. de condit. &  
demonstrat.

rum respectu viduæ, vel vidui, licita & valida, consequenter observanda est talis conditio, ita ut si legatum consequi velit, cautionem præstare debeat, quod illud cum fructibus iterum restitutus sit, casu quo ad alias Nuptias transeat 40.). Nulli autem per Sacros Canones corrigitur Jus Civile quoad has conditiones legatis adjectas, quæ neque sunt inhonestæ, neque libertatem ineundi Matrimonii adimunt absolute, sed tantum sub conditione, si lucro & favore frui velit: cuiuslibet autem debet esse liberum sua relinquere sub quacunque conditione honesta, a legibus non improbata.

*Nec permittuntur sine prævia certitudine*

§. 385. Ut ad secundum Matrimonium uxor vel maritus transire possit, exigitur moralis certitudo de obitu conjugis 41.): quando autem ha-

40.) Novell. 22. c. 43. seq. ubi corrigitur Lex 2. C. de indicta viduit.

41.) C. 19. de Sponsal. c. 2. de secundis Nupt. Tam his Constitutionibus Pontificiis, quam etiam Novella JUSTINIANI 117. c. 11. corrigitur Lex 6. ff. de divor. quæ dubitanti de morte conjugis absentis, licentiam concedit nubendi post quatuor-

habeatur moralis certitudo, regula *de morte* universalis dari non potest, propter *conjugis*. circumstantias tum remotæ regionis, tum diuturnæ absentiæ, tum etiam belli aut pestis grassantis in ea provincia, ubi conjux morabatur: tandem ob alias præsumptiones, quæ ex ætate ingravescente, aut adversa valetudine oriuntur, quæ omnia pensare debet Judex Ecclesiasticus, qui vel permittit transire ad alias nuptias, vel attentatum transitum punit 42.)

K k 4

Tit.

---

quennium expectatum, vel post quadriennium, ut habet L. 7. C. de repud. Ad alios Canones, qui facile novas nuptias concedere videntur, respondet EMAN. GONZALEZ ad cit. c. 19. de Sponsalib.

42.) Vid. BOERIUS decis. 288. COVAR-  
RUV. de Sponsal. & Matrim. part. 2. c. 7.  
§. 3. n. 4. GUTIERREZ pract. quæst. Ci-  
vil. lib. 2. q. 8. & de Matrim. cap. 51.  
SANCHEZ de Matrim. lib. 2. disp. 46.  
FARINACIUS Prax. Crim. part. 5. quæst.  
140. a num. 42. aliique passim.